

(cc. 23/36 v.): Die primo aprilis. Filiolus Cichi de Ortona conueniens cum nobilibus uiris dominis rectoribus supradictis, uice et nomine totius comunitatis ciuitatis Spaleti stipulantibus et recipientibus, fecit uendicionem eisdem de III^e stariis frumenti ad starium et mensuram venetecam, que sunt staria VI^e ad starium et mensuram spalatinam, pro precio et nomine precii XX venetorum grossorum ad dictam mensuram venetecam uel X grossorum ad prefatam mensuram spalatinam pro quolibet stario, quod quidem frumentum tale quale, est frumentum de quo prefatus dominus Theodosius rector monstram habet per manum dicti Filioli in quodam guanto siue celoteca, sigillata sigillo Dominici Milti(ni)... dictus Filiolus promisit et se obligauit dare et assignare eisdem rectoribus, omni exceptione remota, integre cum effectu hinc ad octauam diem kalendarum mensis maii proxime uenturi in portu Spaleti suis sumptibus et expensis saluis impedimentis infrascriptis, uidelicet, quod si occasione magne campagne uel guerre aut alicuius discessioneis aliquorum baronum de Apulea, uel tempestatis maris uel aliquorum piratarum ueniencium de extra, quod absit, quibus de causis non posset predicta adimplere, quod in predictis casibus legitime probatis uel eorum aliquo ad predicta nullatenus teneatur et saluo eciam quod ipso applicante ad partes Sclauonie seu Dalmacie aliqua manifesta uiolencia hominum fieret ei, propter quam cohactus opporteret ipsum cum suo nauigio violenter duci ad aliquam aliam ciuitatem Dalmacie et ipsum furmentum ibi exonerare, quod totum quod de pluri dicto precium ipsum ibi uenderet, deueniat et deuenire debeat libere et expedite in comune Spaleti. Dicti autem domini rectores, nomine quo supra se obligando, eidem Filiolo promiserunt eidem dare et soluere totum precium dicti frumenti de inde ad octo dies proxime sequentes a die quo dictum frumentum fuerit discaricatum computando, quod quidem frumentum ipsi rectores teneantur sollempni stipulatione, ipso applicante ad portum, statim facere discaricari, saluo die festo. Et hec omnia predicte partes, scilicet una pars alteri ad inuicem promiserunt et se obligauerunt per sacramentum adtendere et obseruare et non contrafacere uel uenire, aliqua ratione uel causa, sub pena ad rationem centum ducatorum de auro, cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium suorum bonorum. Ad que omnia et singula adtendenda dictus Filiolus obligauit omnia sua bona ubique posita et reperta, et prefati rectores omnia bona dicti communis presentia et futura, pro quo quidem Filiolo et suis precibus et mandato, Dominicus Miltini de Spaleti sua propria uoluntate se fideiussorem et principalem solutorem constituendo de predictis, predictis dominis rectoribus promisit et se obligauit eisdem taliter facturum cum effectu operis, quod predictus Filiolus adtendet et obseruabit omnia et singula supradicta